



184

A

D

G

H

P

R

T

185

Ba

De

H

Fo

Im

Ka

Pic

Sch

We

186

D

Ge


1800.

Leipzg. Diss. iur 1800 - 1802.

Röster, A. F. De iunctura investitura liboris jure Saxonico ...Tiemer, H. A. Ch. L. Ad historiam nationum juris discendi docendique symbolicaeGottschald, H. A. De legato rei alienae.Hansen, H. L. Utrum possessorum summarium et ordinarium in iure  
equendae et vendendae corvinae obtineat.Palm, Jo. G. Famosi libelli utrum in civitate forendi sint.Petschke, H. A. De immunitate praediorum in Saxonia a tributis per  
praescriptiōnem immemorālē adspicenda.Pinther, H. A. Quo possessiones principiū ac comitū dynastarum  
1801. a Schoenburg in Saxonia Electoriā p̄tēntuntur.Baumgartner, C. I. Th. Juris prudentia in iinterpretando Novo Testam. Ec.Dennuth, F. H. V. De libris patentibus contra debitorum, cambialom ...Kettler, K. E. L. De iuri dictionis feudalis in heris Sax. Elect. conditione ...Andreas, H. Th. De XII. Justiciis edictis spec. I.Kauwerk, F. A. De administratore iurisdictionis patrimonialis munere  
sua iudicio causa haud prouando.Richter, H. K. De vi militari veterum Germanorum hibernariae ... II.Schneider, J. F. A. Delibatae quædam de corpore delicti capita.Weiss, Ch. B. De causis et præscriptione queritur nullitatē contra sententiam

1802

Tiemer, H. A. Ch. L. Juris consultus perfectus.Gottschald, H. A. De sponsionibus sponsalium sive vom Jawort.



14745  
1801,4.  
**XIII. IUSTINIANI EDICTIS**  
DE  
SPECIMEN SECUNDUM

S C R I P S I T

E T

ILLUSTRIS IURISCONSULTORUM ORDINIS  
A U C T O R I T A T E

P R O S U M M I S

I N U T R O Q U E I U R E H O N O R I B U S R I T E O B T I N E N D I S

A. D. XII M E N S. M A I I M D C C C I

H. L. Q. C.

AD DISPUTANDUM PROPONIT  
**HIERONYMUS THEOPHILUS**  
**KINDIUS**

A. L. M. I. V. B. ADV.

E T N O T. P U B L. I M M A T R.

*Continet Edicta V. VI. et VII.*

L I P S I A E

E X O F F I C I N A H I R S C H F E L D I A N A .



SENATUI  
CIVITATIS LIPSIENSIS  
VIRIS  
MAGNIFICIS ILLUSTRIBUS  
IURUM CONSULTISSIMIS PRUDENTISSIMIS  
MERITISSIMIS

PATRONIS OPTIMIS

HOC SECUNDUM

DE IUSTINIANI EDICTIS

SPECIMEN

PII ANIMI TESTANDI CAUSA

SACRUM ESSE CUPIT

MULTISSIMUS

devotissimus

A U C T O R.

14745

DE

### XIII. IUSTINIANI EDICTIS.

#### §. I.

*Causarum continuati argumenti connexionisque  
expositio.*

Coepit a nobis ante hosce septem annos commentatio  
nis XIII. Edictorum Iustinianeorum continuationem nisi  
vel promissionis fidei deberemus, vix tamen possemus aliis  
ex causis denegare praesenti huic scribendi opportunitati.  
Nullus saltem erit, qui iustum laudem detrectare possit  
assiduitati illi, quam desiderant argumenta uberiora, quae,  
quamvis ceteroquin non levia, ideo tamen in primis, dili-  
gentiori simulque critica elaboratione opus habent, quod  
parum adhuc, nec singulatim unquam, a viris doctis tractata  
sunt. Quo minus enim nostrum potissimum argumentum  
ad eas tractandi species referendum esse scimus, quae iustio-  
ris commendationis merita habent in utilitate ea, quam  
quotidianam et practicam possis dicere; eo magis non nihil  
laudis iure tribuendum esse censemus omnibus omnino eius-  
modi operibus, diligentiae scilicet curatioris, studiique  
severioris, quod circa locorum comparationem atque col-

A.

lectio-

lectionem versatur. Iam vero, cum in priore argumenti nostri parte non absque virorum harum iuris disciplinarum peritorum et studiosorum applausu versati simus, in tanta rerum, de quibus edicta nostra praecipiunt, veritate, vix opus erit aliam melioremque afferre *connectendi* hoc alterum cum superiori specimine rationem, nisi eam, quae ex ordine et numero Edicti Vti arcessi potest. Quantum enim discrimen intercedit inter praefectum praet. Phoeniciae Libanicae, de quo agebat edictum ultimo prioris specimini loco expositum; *tempisque actionum quae sacris locis competunt*, quinti niminum edicti argumentum? At, quanta etiam oritur duarum rerum longe diversarum similitudo ex eo, quod iure possis contendere, utramque aequa dedisse *legi cuidam scribendae causam*? Quae iterum commentamur edicta, Iustinianum, celeberrimum illum iuris civilis Romani restauratorem, auctorem habent, corporis iuris, quod omnis iurisprudentiae recentioris fundamentum stabilivit, partem adeo conficiunt, — quid plura?<sup>a)</sup>

## §. II.

a) Si cui forte severiori lectori minus idonea haec ratio, et ioci causa magis, ut ut fere est, adiecta videatur, ne omnino tamen ineptiarum ab eo arguamus, exemplum Hombergorū zu Vach adducimus. Neque vero hic in praefatione Novellis praemissa, et multo quidem severius, quam nos, alia usus est causa. Dum enim plures rationes reddidi, retinendae recipiendaque ad Novellas ve-

teris translationis, verba eius, quae hoc loco transcribantur, in primis haec digna esse videntur: „*Usus et receptio Iuris Iust. nos ligat, non vero minus accurata interpretatio legum ab homine privato concinnata. Neque enim in eius gratiam, vel propter auctoritatem eius Novellas receperimus, sed quia illae sunt pars Iur. Civ. recepti.*“

## §. II.

## E d i c t u m q u i n t u m .

Primum igitur edictum quod hoc loco illustrandum nobis sese offert, quo usque nimirum progressi sumus priori de XIII. Iustiniani specimine, quintum occupat inter reliqua illa locum, disponitque de tempore actionum quae sacris locis competunt, περὶ τῆς χρόνος τῶν ἀρμοδίων ἀγαθῶν τῶν εὐάγεροι τόποι, h. e. de tempore praescriptionis, quae locum habet intuitu actionum *sacris locis*, seu ecclesias, piisque corporibus competentium. Cum ceteroquin inter ipsa Iustin. Edicta non nisi verbis initialibus receptum legatur, idonea nobis erit causa recurrenti ad Novellam CXI. quae integrum eius argumentum continet. Quod reliquum attinet ad inscriptionem eius, quae tota abest in Graecis, vitiosam eam nec titulo convenientem ab editribus, Cujacio Obs. V. 5. teste, dictam esse yidemus, ab HARMENOPULO autem L. I. tit. 3. *lex ipsa*, Novellae adeo nomine insignitur; cuius utriusque rei causam reddere iamiam oportebit. Quia in re editores, quamvis non prorsus temere, non omnino tamen recte, adeoque, si modo undequaque circumspiciamus, minore iure, quam *Harmenopolum*, egisse statim videbimus. Quamquam enim in nostra lege neque expressa mentio actionis invenitur, neque spatium illud XL. annor. aperte commemoratur, quod proprie dicendum est *tempus actionis*, vel etiam *exceptionis*, fundamento praescriptionis nitentis; quamquam unice disponitur in ea de tempore ipsius praescriptionis, seu de tempore, quo praescriptio, quae parit actionem, continetur, haud infrequens tamen est haec dicen-

di ratio, nec adeo obscura esse videtur, ut vitiosa et prorsus inconveniens propterea dici mereatur; quin simillima est rationi dicendi de: tempore luctus, de tempore clauso, aliisque huius generis multis. Cur nostram constitutio-  
nem *Novellam* nominaverit, causam hanc statuere licebit, quod integer nimirum Collat. VIII. titulus XII. quo exhibet  
ur Nov. CXI. sola hac lege absolvitur. Inscripta porro  
est, sicuti aliae plures, *Theodoto Orientalium praeto-  
riorum praefecto*, seu, quo modo appellatur inde a Nov.  
CXIII. *Orientalium sacrorum praefecto*, ut certam habe-  
ret intuitu praescriptionis actionum ex ea competentium  
normam. De munere autem praefectorum praetoriorumque dioecesis supra tum, ad Ed. II. §. 5. p. 19.  
ss. Imi specim. tum occasione IV. Ed. p. 37. ss. sermo  
nobis fuit ita, ut praeter aetatem, qua inclarerit Theodo-  
tus ille, aliorumque huius generis commemorationem,  
reliqua omnia missa hic facere possimus adeoque debea-  
mus. Aequalis Basilii urb. Cons. eum fuisse statuerunt  
Novellae Iustinianae omnes ad eum missae<sup>b)</sup>, quibus subscriptus est annus XV. Imp. Iust. Basil. urb. Cons. i.e.  
post Chr. nat. 541. a quo inde tempore Basilius Consul  
ANTONIO CONTIO teste, clarus fuit, ideoque sequentes anni  
usque ad annum 565. Imp. Iust. 39. computati nominati-  
que sunt post Consulatum Basili secundus, tertius et  
reliqui usque ad annum vigesimum quartum, i. e. 565.  
Omnis haec chronologiae ratio haud parum adiuvatur  
propo-

*b)* Sequentes quidem inde a CXII. consulatu editas esse, cum ex earum usque ad Collat. VIII. finem omnes, subscriptionibus, tum historiae ini-  
quas uno anno, scilicet XV. Imp. Iu-  
stiniani, s. aerae Chr. 541, sub Basilli  
testimonii (conf. Sp. I. §. 3.) haud te-  
mere potest colligi.

propositae quoque edictalis constitutionis subscriptione  
 iisdem verbis fini adiecta: *dat. Cal. Imp. C. P. Im. Dom.*  
*Iustiniani perpetuo Aug, anno XV. Basili V. C. Cons.*  
 Postremum fuisse illum Fl. Basilium omnium consulum  
 ordinariorum, tam Orientalium, quam Occidentalium,  
 collocandumque tanquam *urbis consulem*, ad annum 541.  
*Imp. Iust. 15.* (inde a quo editae sunt Novellae CVII. et  
 sequentes,) eiusdem *CONTII* testimonio edocemur. Neque  
 sane est, cur fidem ei habere nolimus, partim cum  
 temporis rationem, quam sequitur, plerumque ex legibus  
 earumque certa aetate eum hausisse deprehenderimus,  
 partim etiam, cum ipse saepius, et iure quidem optimo  
 censuerit, leges esse inter certissima antiquitatis monu-  
 menta referandas. Sed ab his, quae ad finem legis ad-  
 spergenda potius, quam huic loco arroganda fuissent,  
 regredimur ad legem nostram ipsam, inprimisque ad  
 eius praefationem. Et vero, quamvis vulgaris atque vere  
 communis videri possit sensus verborum: *quod medica-*  
*mента morbis etc.* non solum tamen verissimus est, sed  
 mirifice et egregie admodum esse apparebit  
 ad ea, quae sequuntur Constitutionis verba. Legislato-  
 rem enim comparare sese videmus in praefatione hu-  
 ius legis cum in universum, tum in singulis, religioso et  
 fideli medico, qui, effectu medicinae frustra exspectato,  
 ut alia utatur, qua eventum optatum quasi extorqueat,  
 coactum se videt. Verius autem est, quam saepius  
 observatum, negotia, optima quidem fide suscepta,  
 legis tamen praecepto non satis munita, nociva fieri,  
 nec alio modo innoxia reddi posse, nisi simul lege  
 singulari satis ab omni abusu, seu fraude, defensa sint

ac

ac munita. Utriusque huius rei Iustinianum, experientia ipsa edictum, bene memorem fuisse, dum evulgaverit hanc legem, animadvertisendum. *Probat*, enim inquit, *hoc praesentis etiam necessitas sanctioris, in qua privilegium ex religiosissimo proposito* <sup>c)</sup> (h. e. probissimo consilio, optimaque fide, ne scil. possessiones ecclesiarum aliorumque locorum sacrorum temporis diuturnitate munita, facile praescriptionis, aliove iuris peti possint fundamento,) *sacrosanctis ecclesiis Dei — distingvimus.* Quid intelligendum autem sit per: *alia loca religiosa,* (*σεβαστικές τόποις*) quorum intuitu haec lex supra a nobis non immerito extensa est ad omnia, quae in iure dicuntur, *pia corpora, luculentissime cognoscitur ex inferiori, ubi singulatim nominantur xenodochia, orphano, ptocho, et brephotropha.* Sub *constitutione nostra*, et eo, quod paulo post: *dudum iussum esse legitur, comprehenditur in primis Nov. IX.* qua cautum erat hoc. Primum, ut centum tantummodo annorum lapsu temporalis exceptio, (h. e. exceptio praescriptionis, qua adversus ecclesias uterentur possessores rerum secularium, quibus paulo inferius opponuntur *iura ecclesiastica*,) obici possit; deinde: ut per totum praedictum tempus integra maneat iura ecclesiastica, neque iis alia, v. c. *praerogativa XXX. annorum, quae antea valuerat, praeter*

<sup>c)</sup> Et haec quidem est lectio Corp. Iur. Civ. GOTTHOFREDO LEUWENIANI, quod secuti hic usque sumus. A qua tamen, cum hinc illinc discrepet recentissima Corp.Iur. Civ.edictio, quae cura Georgii Aug. SPANGENBERG Goett. 1776 et 1797. duobus Tom. comparuit, breviter hoc admotasse invabit. Caeterum; si quando prodesse possit, huius quoque editionis lect. in consilium vocare, et quae dici utiliter poterint de causis huius discrepantiae, addere oportebit.

ter centum annorum, possit obviare exceptio.<sup>d)</sup> Neces-  
saria igitur correctio praescriptionis centenariae dicta est  
a Iustiniano, quia probationum scilicet difficultatibus im-  
pedita, et quoniam — suffragari. Egregie Iustin. hisce  
verbis utriusque rationis, probandae adversus ecclesiam  
possessionis mentionem facit. Quamvis enim iure iurando  
quoque idoneam confici posse sciamus probationem,  
iure tamen haec, nimirum ob ipsam rei naturam, in pro-  
banda praescriptione rarius obvia, omissa est. E con-  
trario legislator merito documentis opposuit *actorum*  
fidem, ratione nimirum haud dubie habita discriminis  
illius non levis, quod intercedit inter instrumenta, uti vul-  
go audiunt, privata et publica, seu ea, quae aut a pri-  
vatis tantum personis, a partibus contrahentibus, confecta,  
aut personarum publicarum auctoritate confirmata sunt. —  
Omnino igitur eventus legis prioris supra commemoratae,  
cum non responderat religiosae legislatoris intentioni, in  
eo positae, ut certa firmaque starent iura dominii posse-  
sionisque ecclesiarum piorumque corporum; exinde causa  
orta est ferendae recentioris, uberioris iam a nobis exponen-  
dae. Sanitas autem (*θεραπέια*) negotiorum per licen-  
tiam illius sanctionis commotorum, quae probatio-  
num scilicet difficultatibus impedita, non provenisse  
dicitur, intelligendus est perpetuus nec impugnabilis  
eorum valor, qui in eo consistere debuisset, ut nullo  
iuris

d) Favorabilem hanc pro ecclesiis praecriptionem adversus contradictores  
egregie defendit BACHIUS indiss. de praescriptione C. annor. eccl. Rom. in  
Opp. p. 41. ss. Omnino autem de his- toria praescript. GALVANUS de usufructu  
c. ii. et RIVINUS in diss. de usucap-  
tionis statu secundum ordinem chrono-  
log. a XII. Tab. usque ad temp. Justin.  
Lips. 1728. 4.

iuris titulo, ne dum praescriptionis centenariae, turbari potuisset. Caeterum annotanda hoc loco esse videtur oppositio seculi, alias longissimum, interdum etiam immemoriale tempus dicti, et temporis, qua voce, in inscriptione huius Edicti simul obvia, brevius spatium, XL. scilicet annorum, significari patet. Iam satis exposita huiusque a Iustiniano abrogandae posterioris legis occasione atque causa, primo Ed. Cap. addit ipsam novae legis mutationem, seu ipsius normae praecipuum, quod adeo discrepare a priore videbimus, ut novam quoque, si lueat, merito nominare possis. Nimirum iubemus, Imp. pergit, ut in negotiis quae ante hac triginta annorum removebat exceptio, nunc venerabilibus ecclesiis monasteriis et xenodochiis, nec non orphanotrophiis, et brephotrophiis et ptochotrophiis quadraginta protelatio (επέκτασις, i. e. extensio, dilatio) conferatur. Sustulit Iustin. hoc modo, salva scilicet circa alias personas et causas, quae omnes intelligendae sunt non ecclesiasticae, virtute praescriptionis tricennialis, celeberrimam illam, testeque Procopio in Anecd. ab Imperatore auro adeo redemdam leg. 23. C. de Sacros. eccles. quae primum quidem solis ecclesiis Orientalibus, deinde tamen Nov. IX. Occidentalibus quoque indulserat privilegium praescript. centenariae. \*) Praeterea corroboravit huius legis abrogationem iterum Nov. CXXXI. C. 5. f) Contractus religiosi dicuntur h. l. tanquam per figuram loquen-

e) Pontifices nostros conservare studuisse veterem illam constit. testatur c. 13. cum sequ. d. praescr. C. II. in 6. eod. Addatur PERETZ in Cod. n. 24. p. 7.

f) Verba huc pertinentia ita sonant, „in S. Sanctis eccles. et aliis universis venerabilis loco solam 40. annos praescripsit, opponi praecipimus.“

quendique compendium ii, quos inierant ecclesiae aliave loca sacra cum ecclesiis vel etiam personis secularibus. Verbis tandem sequentibus pauloque obscurius, uti nobis videtur, ab interprete expressis, s) illustrandi causa' pauca adspergamus. Sensus eorum, collato quidem Graeco textu, ita haud dubie intelligendus est. Nolumus *refrigerari* (*ἀνανεύγεσθαι*) s. rescindi propositaque lege causas ecclasticas iam ante nostram constitutionem e praerogativa diurnae possessionis motas, sed simul etiam iudiciali sententiā aut transactionum conventione s. quacunque paciscendi ratione, diremolas; nolumus<sup>1</sup> eam ad hasce quoque causas applicari, quin iure pertinere nostram legem iubemus ad eas tantummodo controversias, quae, obtinente olim centenaria praescriptione, aut hanc legem vel plane non movere poterant, vel saltem non decidi, unice forsan ob temporis necessarii defectum vel probationis centum annorum difficultatem. *Lustro* enim (*πενταετίῳ*) intelligendum esse quinquennium<sup>h)</sup> svadet cum

series

g) Interpres Novellarum recentissimus HOMBERG zu VACH, cuius Vers. lat. SPANGENBERGIUS supra laudatae suae editioni ob ipsius perspicuitatem atque elegantiam haud immerito concomitem addidit translationi veteri, omnem hunc locum ita redditum: „salva scilicet manente vi illa circa reliquias personas et res, quam triginta annorum praescriptio sibi vindicavit: quoniam hanc decem annorū adiectionem, solis, ut dictum est, locis venerabilibus, eorumque iuri et contractibus largimur,

„ut cessante hoc temporis spatio tam personalis, quam hypothecariae actiones in perpetuum quiescant reliquis exceptiōnibus nullo modo diminutis, sed annali et trienniū praescriptione, caeterisque, quae ad maiora vel minora tempora extenduntur, vim suam et robur retinentibus.“

h) Nil obest, quod alii locis haec voz quadriennii potestate occurrat, v. c. ap. Ovin. Fast. III. 165. de anno intercalari Iuliano, itemque, ap. Plin. II. 47. extr. Ipsa vox Graeca πενταετίῃ

B

series orationis, tum in primis quoque Graeca vox quae ita translate est. Caeterum caute addita est a legislatore illa legis restrictio, partim, quia in universum iniustum esse videtur, nova lege mutare negotia perfecta iamiam causasque praeteritas, partim etiam, quia, si aliter factum esset ab Imperatore, (qui esse solet communis legum ad retro, ut vulgo dicitur, tractarum effectus), immenses inde disceptationes totque novae lites ex capite iustae iniustaeve possessionis, inde exortae fuissent, ut ambigendum, num vere profuerit haec lex, an magis obsuerit. Inter epilogi, qui restat, tandem verba, eminent variatio, quae continetur vocibus: *magnifica tua auctoritas*, quem praefectorum praet. ad quos missa erant edicta, titulum, alibi expressum, deprehendimus verbis: *celitudo*, *excellentia*, *gloria*, *prudentia*; <sup>i)</sup> sicuti deinde *quae nostra statuit aeternitas* idem significant, quod in aliis constitutionibus indicabant verba: quae nobis placuerunt, quae nos sancimus, statuimus, praecipimus, eiusque generis alia. Praeterea AGYLAUS in Versione sua ad finem Edicti adnotavit haec: „mire passim hoc edictum corruptum est, quin tamen sensum eius recte expressemus, non proterit negari.“ Nec iniuria quidem vel plane temere corruptionis censor extitit, tam ob ipsarum lectio-

interdum usurpatur exemplo Olympiadis ita, ut significet spatium post annos quatuor, spatium temporis quartum annum excipiens, unde quoque factum est, ut quinque interdum anni tribui videantur uni Olympiadi, vid. SENECA in

Herc. fur. v. 840. OVID. ex Pont. IV. 6. 5.

<sup>i)</sup> Graecus textus eodem fere modo variatur verbis: ἀπερονή, ἔρδεζότης, ἄνδοζος ηγετησαντος ἀνδετρία, si que Novellarum simul rationem habemus, aliis pluribus,

lectionum varietatem,<sup>k)</sup> quam propterea; quia ubique editionum Corp. Iur. Civ. v. c. LECKWEUNIANAE supra laud. inter reliqua edictum hoc integrum non reperitur, sed verbis tantum, quibus incipit, excerptum atque indicatum.<sup>l)</sup>

### S. III.

#### *E d i c t u m s e x t u m .*

Argumentum huius Ed. quo modo legitur tanquam sexta lex inter reliqua Ed. Imperatoris, vel a legislatore ipso omissum, vel negligentia librariorum atque editorum haud praepossum, in Novella tamen CXXII. quae ceteroquin eo integro consumitur,<sup>m)</sup> ita expressum est: περὶ διατυπώσεως τεχνιτῶν, de formula artificum<sup>n)</sup> sub qua intelligenda est quantitas mercedis, artificibus vel opificibus omninoque omnibus personis, quorum operaे conducuntur, ex antiquo statuto, κατὰ τὴν παλαιὰν συνθέτειν,

B 2

pro

k) Ad marginem enim exempli sui verbo: *controversias* adscipit: pro τρόμος lege: στόχασμος, et paulo post pro: επωφείλης, lego: ès et mox υχριστον.

l) Similem allegationem in exemplo SCRIMGERIANO deprehendimus adeoque animadvertisimus occasione Ed. I. §. 4. p.

ii. Sp. pr.

m) Hoc alterum est Ed. quod antequam ed. nomen acrum est ab Imp. extitit haud dubie tanquam Novella, ita ut BAGNI sententia, quam de aetate

Nostrorum prolatam ab eo esse, supra ad ed. III. v. 9. animadvertisimus, optime inde confirmetur, praeterquam, quodvis atque potestas formulae loquendi quis usus est: edicta esse ex illis (Novellis) composita, satis inde eluceat. Omnino adhuc evolvi potest h. l. RITTERNIVSUS p. III. c. 12. ss.

n) Inscriptionem eiusdem legis, qua exprimitur haec formula voce: *dispositio*, deberi CUIACIO e Codice regio testatur RITTERNIVSUS ad Nov. cit. p. III. c. 13. ss.

~~~~~

pro vetere consuetudine competentis. Quam consuetudinem nimirum obtinuisse pro tenore Cap. I. laud. Novellae ita iam ante nos Editores ad hunc locum animadverterunt, ut nobis prorsus huius rei otium fecerint. Universa autem dispositio, quoad verba saltem, adeo clara est atque perspicua, ut anno subscriptionis. (post Belis. Cons. 536.) supra ad Ed. IX. satis explicato, paucissimis verbis, eoque in primis consilio, ne videamus eam plane neglexisse, totius legis explicationem absolvere possimus. Satis patet e praefatione praemissa et omnis legis occasio, et singulae causae eius ferendae dum: cognosimus, inquit Imp. quomodo post castigationem Domini Dei benignitate immissam, qui negotiations et ludos litterarios excent, diversi etiam generis artifices et agricolae, insuper et nautae, cum potius meliores fieri deberent (cum ob temporis ubertatem, tum legum largitionis,) lucri cupiditati se dederint, et duplicitia tripliciaque pretia ac mercedes, praeter veterem consuetudinem requirant. Quae cum ita sint, liceat nobis hinc nullum, quae utiliter ad nostrum locum trahi possint, arcessere ex aliena veterum Nov. laudatae Editorum, nos trique Edicti Commentatorum illustratione. Primum incidimus in iudicium illud marginale editionis LEUWENIANAE maioris, quod ludos litterarios μεθόδεας) intelligendos esse censem: convenitus hominum varii generis, non omnino quidem male, nimis tamen per additam vocem: mercatus restricta hac explicatione, uti nobis videtur, ad solos mercatores eorumque negotia, quae satis iam indicata sunt verbo precedente propriusque hac de re usitato <sup>o)</sup> (πρεσβυτερίας.

<sup>o)</sup> Hanc vocem de illis hominibus in genere dici, qui aliena negotia curant

*ματέας). Sed confirmando est haec nostra qualiscunque sententia RITTERSHUSI in primis auctoritate, uberioris ab eo ad Nov. CXXII. prolata. Hic enim versioni AGYLAEANAЕ: ludos litterarios, aperte praefert alteram versionem: conventus hom. seu mercatus. Iam quamvis in universum hac in re eius menti accedamus, in eo tamen, rationibus scil. supra allatis ducti, discedimus ab eo, quod verba: conventus hominum voce *mercatus* iterum explicanda seu potius restringenda magis censuerit. Ne tamen iniuriam ei facere fortasse videamur, propria eius verba adscribere iuvabit. „Recte, inquit, reprehendit CUIACIUS H. AGYLAEUM, qui in Ed. V. Iust. μεθόδεας verterit: ludos litterarios, cum potius debuerit interpretari conventus hominum, sive mercatus. Haec enim quatuor Imp. pro eodem accepit: πραγματέαν, μεθόδεαν, μέθοδον et ἐμπορίαν, verum pro negotiatione, nullo autem modo in mentem ipsi venit quidquam disponere de ludis litterariis eorumque magistris.“ Ex quibus omnibus, si severe arbitrari in di iudicandis hisce arbitriis velimus, hoc saltem nobis elucere videtur, RITTERSHUSIUM in interpretandis verbis: ludos litterarios, iusto paulo anxius versatum esse; qua viri docti opinione duplcem errorem ortum esse statim videbimus. Potestate enim verborum illorum nimis proprie sumta, et prorsus fere neglecta ampliore eorum significacione, factum est, ut recte quidem RITTERSHUSIUS contendenterit: nullo modo Imp. id agere voluisse, ut quidquam disponeret de ludis litterariis; at minus tamen recte hanc causam satis idoneam esse duxit; qua defenderetur lectio*

Agy-

vel perficiunt, *accepta mercede*, nota T. II. p. 488. b. addita uberioris comprobatio  
2. Nov. CXXII. edit. SPANGENBERGIANAE batum legitur.



Agylaeana , ubi certum est , verbum mercatus iterum redundare. Sed, ne iusto plura uni loco tribuisse videamur , hoc missso transeundum , est ad reliqua. <sup>p)</sup> Sub castigatione dei benignissima intelligit Novellae Commentator , qui ceteroquin nisi rectius , saltem elegantiū calamitas legisse videtur , pestem aut sterilitatem aliudve publicum infortium , quo imperium tum temporis laboraverit. Pestem potissimum fuisse adversum illud reipublicae fatum , sequentis Edicti verba in praefatione obvia: „cum etiam mortis aculeus et periculum omnia loca pervagata sint“ ultra omnem dubitationem extollunt. Colligi potest , in hac temporis calamitate negotiatores , mercatores , artifices varios , agricolas denique et redemptores nimis nimisque indies auxisse pretia rerum mercedesque omnis generis ita , ut cum proprio motu , quamvis praeterlapsa dudum illa calamitate (quod indicare videntur verba: *cum tamen meliores* , h. e. aequiores , iustiores esse deberent , ad priorem vilitatem recedere noluisse sint censendi ; Imperator lege nostra medelam afferre coactus fuerit. Neque vero , cumin iustissimi illi

<sup>p)</sup> Neque tamen impetrare a nobis possumus , quin obiter saltem haec insuper addamus. Mirifice sibi RITTERSHUSIUM ex more quasi consyeto placuisse deprehendimus , dum in exponendo huius legis argumento quinque singulis partibus illud , quamvis praeter omnem necessitatē , dividere studeret. Cum praeter aliquam tantum diversitatem rerum , de quibus haec lex praecepit , nil in ea reperiatur , quod praebeat idem , logicosque regulis satis subfultam decisionem , parum saltem hoc intuitu ei erit largiendum. Quodsi vero respicimus ad extremam rationem omnium divisionum , qua eo haud dubie continetur , ut quisque sibi pro sua ipsius cognoscendi facultate clariorē rei perspicienda imaginem comparet , illa quoque RITTERSHUSIO , nec praeterquam tamen quidquam , danda erit.

illi homines *duplicia* adeo, quin *triplicia pretia* exegerint, uti ipsa hac lege commemoratum, ullo modo improbari potest, eum corroborasse huius const. sanctitatem simul expressa graviori; rarioque alias comminatione, conferendae nimirum *triplicis* (mercedis nim. postulatae) quantitatis in fiscum; quam iterum in epilogo legis strenue exigendam esse ab omnibus edicti transgressoribus, iubet. Ceterum caveas, ne eos, qui *aliqua opera redimcre* h.l. dicuntur, eosdem esse opineris, qui aliis locis uno verbo proprieque dicuntur redemptores: <sup>q)</sup> Bene quidem scimus, horum quoque hominum saepius in Iustiniani legg. mentionem fieri; at vero hic, ubi ii, qui redimunt *aliqua opera* (οἱ επιτάρτοις ἀαδηπότε ἔργα,) aperte opponuntur iis, qui *qualia-cunque opera demandant*, (τοῖς τινὶ δὲ ἀνομένοις,) vix ambigendum esse videtur, illos significare, qui contractum locationis conductionis qualicunque modo, sive artificii, sive opificii, sive alias omnino praestationis intuitu, celebrarunt. <sup>r)</sup> Commemoranda adhuc sunt ea, quae in plerisque Corp. I. edd. voci: *aedificiorum* adspersa, quin imo a SPANGENBERGIO, quamvis paululum mutata, aliique loco in notis Nov. inserta leguntur, huius tenoris: „vetat Iust.

ut

<sup>q)</sup> Huic hominum generi, quod con-  
ducendis vectigalibus publicis operam  
dabat quaestumque faciebat, aequre fre-  
quentem esse vocem: *publicani*, qui  
bus adeo Cic. pro Plancio, c. 9. teste,  
flos equitum Romanorum continebatur,

524, et DONAT. ad Liv. 23. 48. in primis  
que PET. BURMANNUS in Antiqua Rom.  
singularique de variis vectigal. libro,  
qui prodit Lugd. Bat. 1734, 4.

notum est ex antiquitatibus Romanorum,  
in primis rei vectigalis, scriptoribus Con-  
ferri possunt RUPERT. ad Flor. III. 2. p.

<sup>r)</sup> Hac quoque potestate haec vox  
nonnunquam occurrit apud optimos scri-  
ptores Lat. v. c. Cic. de divin. II. 21.  
et TACIT. hist. I. 27. 2.

ut locent operas κατὰ τὴν παλαιὰν διατύπωσιν, non, ut HALOANDER ex epitome THEODORI, κατὰ τὴν πρόξεως διατύπωσιν, i. e. secundum *actionis* formulam.<sup>4)</sup> Et vero ex hoc ipso loco apparet, pro verbis Graecis, uti hodie leguntur: παρὰ τὴν αρχαίαν συνθέταν, alia Mscr. legisse, quāvis sine mutatione sensus: κατὰ τὴν παλαιὰν διατύπωσιν, unde THEODORI lectio orta est. Tandem quoque potestas verbi: *mensores* pro Gr. voce; *μεργιᾶς* quo paulo inferius AGYLAEUS esse usus legitur) rara est et novissima, cum in genere hoc loco, sicuti etiam vox *artifices*, accommodari debeat ad aedificia aequae ac agriculturam et alia omnino opera praestanda.

#### §. IV.

*Edictum septimum.*

Praemissus est huic Edicto, forsitan ob gravitatem eius atque amplitudinem, (in inscriptione dicitur adeo *pragmatica forma*<sup>5)</sup> τότος πρεγματικός, quod in superioribus aliter sese habebat totus Imperatoris titulus, de quo illustrando optime ante nos meriti suntviri docti,<sup>6)</sup> omninoque Iuris Rom. Civilis Commentatores. AGYLAEUS hoc riarioris quid esse, aequae arbitratus videtur, in primis cum in

s) De 'potestate' huius vovis recentiori aetate frequentiori vid. DUFRESNE in Gloss. sub voce: *pragmatica sanctio*. Hoc loco cum nihil aliud indicet, quam legem, prorsus synonymica est aliis vocabulis quibus Iustin. leges suas denominare solet, v. c. voluntas, et sacra

voluntas, iussio, placitum, norma, lari-  
gitio, praeceptum.

5) Inter quos nominandi in primis sunt Ioan. Pet. de Lundro in vita Iustin. Cap. VIII. pag. 485. quod cum de bellis a Iustin. gestis tradat, integrum fore hoc pertinet; et PROCOPIUS in Aneodotis.

in Graeco textu, Iustiniani titulo additum insuper inventerit nomen IULIANI. Ad marginem igitur versionis suae adnotavit — *vitiōsum iudico*, quod ipsum haud dubie commovit omittere plane hoc nomen in Vers. latina. In Nov. CXXXVI. et IX. Ed. quae utraqne lex eiusdem argumenti est de *argentariis*, omnino non legitur, cuius rei certam causam reddere non audemus, ob singularem, quae deprehenditur in eiusmodi rebus, Vett. Cod. diversitatem. Iam vero, cum in utraque hac lege citata aequa agatur de *argentariis* (*ἀργυροπετχίοις*)<sup>a)</sup> alteram compara-

<sup>a)</sup> Alii locis hi occurunt sub nominibus: nummulariorum, foeneratorum, mensulariorum, seu mensariorum atque trapezitarum, uti nimurum dicuntur, a mensis illis, quibus ad negotia sua gerenda utebantur. Posita eas, testibus rei argentariae Rom. auctoribus, habere plerunque solebant ad forum et Castoris, operamque ibi dabant contractibus ineundis, quibus aliis pecuniam pro usuris praerogabant. Conf. SALMASIUS de foeno trapez. II. 5. 9. Iustinianus *argentarios* leg. 27. C. de pignor, vocat *argenti distractores*, quos male arbitrii sunt viri docti, *ἀργυροπετχίας* dictos esse ab exigendis venditorum rerum pretiis, habendosque pro nummulariis. Quantum fuerit discrimin inter illos *argenti distractores* et nummularios seu *argentarios*, egregie demonstravit GUERRAUS de off. dom. Aug. p. 568, ubi

*ἀργυροπετχίας*, *argenti distractores* esse docet eos, qui argenteum distrahant in tenues laminas quibus fila serico involuta texuntur. Caeterum non praeterendum hic est Herm. HUBERTUS in diss. I. de *argentariis*, vet. ubi C. I. integro de nomine *argentariis* summa cum eruditione exposuit. Legitur etiam inserta THESES OENLARICH. Diss. Belg. Vol. II. T. I. Conferri quoque potest I. G. SIEBERUS in diss. bin. de *argentariis*. Lips. 1757 et 39. editis, et de *Sesterii*. Magna fuit horum *argentariorum*, qui bene fungebantur ipsorum munere, tunc quoque temporis, utilitas atque auctoritas, quae haud immerito ideo innumeris locis, tum Iur. Civilis omnino, tum veterum quoque scriptorum, *publica* dicitur. Sic v. c. CAIUS L. 10. §. 1. D. de edendo, *argentariorum officium* atque ministerium habet, inquit, *»causam*

rabimus cum altera, quotiescumque nobis proderit, ut tanto tutius hac ratione versemur in proposito nostro, interpretandaeque utrique simul satisiat. De argentariorum autem *contractibus* (*συναλλάγματι*) nostra lex inscripta est, qui aliis ll. dicuntur *usurarii* et *foeneratii*, multumque differunt teste SALMASIO l. cit. pag. 362. ss. a *contractibus* commutativis. Plures omnino praerogativas legislator iis largitur, in quibus omnibus in primis eum resipexisse videmus ad fidem et accuratiorem negotiorum administrationem, quae iure debeat ab iis meritoque exspectari; licet alia quaevi interdum docuerit illorum temporum, doceatque hodierna experientia. Nonnulla horum iurium praecipuorum nituntur iure scripto, et legibus antiquioribus, nonnulla etiam regulis iuris et axiomaticis generalioribus, veluti contenta C. II. quae superstructa quasi sunt regulae: pactis formari contractum, s. legem dari *contractibus*.<sup>2)</sup> Sed ut haec speciatim explicantur, accedendum est ad formam nostram ipsam; utque singula capita eius inspiciamus, et quo modo debeant recte intelligi, exponamus, necesse est. Ex ipsa legis praefatione, quae argumenti intuitu hoc loco nomen suum summo iure tenet, duplicom haurire possumus notitiam.

Pri-

publicam.<sup>3)</sup> Plura leguntur hanc in rem ap. HUBERT. in diss. II. de argent. vet. c. IV. (in THES. OEHLRICH. p. 89.) ubi laudatus auctor in eo in primis elaboravit, ut demonstraret, quantopere argenterii praestent foeneratoribus. Totus autem hic locus, in primisque. §. 3. hoc pertinet eam ob causam, quod ipsa

nostra Edicta VII. et IX. expresse ibi commemorantur.

2) Praeterea quale, inquit HUBERTUS l. l. praeter iam dictum, (commemoravit enim antea nonnullos Corp. Iur. Civ. locos huc spectantes,) fuerit ante Justinianum ius argenteriorum, in obscuro, nobis saltem hucusque later, e. qu. 5. rel. v. OEHLR. T. I. vol. II. p. 129.

Primum enim legislator in ea satis exposuit de occasione legis promulgandae, verbis quidem: *quando itaque multa ex improviso inciderunt* <sup>r)</sup> — *convinci possint;* deinde vero etiam ex hoc ipso loco cognoscimus, Iustini-anum hac forma pragmatica edixisse, non adeo motu proprio, quin potius ad collegii argentariorum, quod vulgo dicitur, instantiam. Iure quidem colligi potest, quid quod hac lege ipsa confirmatur, argentarios saepius quoque mutua dedisse ad solam fidem debitorum, et absque omni chirographo s. obligatione eorum scripta, quod sibi volunt verba: *scriptura non interveniente* <sup>r)</sup> *ἀγεαφως.* Iam vero, cum calamitate urgente, peste tum grassante <sup>r)</sup>

C 2 plu-

<sup>r)</sup> Quamvis adeo in exemplo recentissimo SPANGENBERGIANO ita inveniatur, nihilominus tamen censemus legendum potius esse ad, tum Graeci textus auctoritate, tum etiam ob totius loci nexum. Patet enim, verba in perfidiam improbatemque spectare, continere totius periodi, quod vulgo dicitur, verbum definitum, pendens a praecedente voce: *dicentes.* Hoc autem verbuum def. plane desiceret, integerque loci sensus careret, si retinenda sit vox: *aut,* qua verba illa coniungentur cum superioribus: *aut argenum etiam, aut alias species accepissent.* Quod ad Graecum autem textum attinet, aperte docet eius constructio, verbum: ἐρῦ, pendere a voce: *φάνοντες et sequentibus accusativis: τινας κληρον. καὶ διδόκους, quod sen-*

sus etiam requirit, cum totius loci haec sit vis atque potestas: Conquesti apud nos sunt argentarii propterea, quia heredes nonnullorum suorum debitorum, quibus ad solam fidem et sine chirographis acceptis dederint mutuam pecuniam, seu etiam res, (quo uno verbo h. l. complect. ea omnia, quae opponuntur paratae pecuniae,) fraudulenter saepe agere, et ad denegandas solutiones, perfidiae improbitatiisque indulgerent.

<sup>r)</sup> In Praefat. Nov. CXXXVI. collegium argentariorum hoc intuitu dicuntur neo multis utile sese praestare, quod constituta et mutua subeat *omnis periculi plena.*

a) Satis iam de hac calamitate in superiori Ed. commentari sumus, prorsusque

plures eiusmodi debitores ex improviso decesserint, accidit, ut heredes debita eorum, illo modo apud argentarios contracta, solvere recusarent, quo, certum est, argentariis tanto plus damni esse ortum, quanto minus sufficienter ipsa sua nomina, licet forte verissima, ob defectum tamen intervenientis scripturae ullo modo probare poterant. Conquesti ideo agentarii, Iustinianum adierant, utque sibi succurreret lege nova ferenda, *de multis capitibus* (quae Nov. laud. verba sunt,) *eum rogarunt*. Legislator igitur, ut succurreret iustis his argentariorum querelis, primo constitutionis Cap. iubet heredes demortuorum, quibus ad solam fidem aliquid commodatum sit ab argentariis, si motum sit adversus eos *iudicium*, h. e. actio, bona agere fide, nec reticere quae tamen fateri debeant. Num verba: *oculis in conscientiam defixis*, unice intelligenda sint (quomodo Editores addita huic loco nota 15. haud dubie censuerunt,) de eo solum pudore, qui reis illis actione instituta iniectum iri censendus sit, an forte alia, potiorque huius pudoris causa afferenda sit, non omnino diiudicare audemus. Nihilominus tamen necesse ducimus, causam breviter addere, quae in posteriore abire svadeat sententiam. Duplex haec ratio ni fallimur, in eo

poni

susque hoc loco praeterunda fuisse, nisi  
verba, quibus hic commemorata est,  
uti leguntur nimur in plerisque editi,  
quaedam addere iuberent. Totus enim  
locus: *quod rare hoc tempore accidit  
ita evidenter etc.* posteriora duo verba  
litteris, vulgo cursivis dictis, impressa  
exhibit. Quae scribendi ratio haud du-  
bie debetur vel auctori vet. vers. qui  
forte perspicuitat nimis favere stu-  
bat, pesimique illam tunc temporis, ubi  
haec lex lata erat, in primis vehemen-  
tem perniciosamque fuisse arbitrabatur;  
vel etiam antiquo Codici, de cuius lect.  
alii locis diximus. Caet, adiutanda hic  
esse nobis videbantur, quae iam iam  
diximus, ut iure possimus, si in inferio-  
ribus similia occurrant, de iis tacere. —

poni poterit, quod primum actio iniusta quoque esse potest, ita ut reo, contra quem instituta est, de iniustitia eius v. c. sibi persuaso, conscientiam movere nullo modo possit, deinde vero, quod sequentia legis verba, *idem etiam a servis, qui ab iisdem iudicibus examinantur*, et paulo post: *si ministrorum testimonio, aut quaे cum iureiurando fiat, diariorum productione aut etiam alia sufficiente probatione res convinceretur*, mentionem simul faciunt probationum, quibus uti ad demonstrandam actionum suarum iustitiam argentariis licet. Ad aliqualem saltem igitur eiusmodi probationem, eiusque in reorū animos efficaciorē haud dubie vim, quam quae esse possit solum actionis motae, Imperatorem in illis verbis respexisse, non omnino quidem temere contendit poterit. Praeterea, quid intelligendū sit sub *diariis* argentariorum, SALMASIUS in primis l. laud. omnesque rei argentariae veteris scriptores satis exposuere, et quamvis hinc illinc inveniantur quoque ipsae illae formulae, quae frequentes propriaeque argentariis fuerint in conscribendis illis diariis, notandisque omnibus, quae adnotanda essent ad singula quaevis nomina, v. c. intuitu usurarum, temporis solutionis, fideiū ussionis, aliusve praestitae securitatis; dolendum tamen est, quod illa rei argentariae monumenta integriora ad nostram aetatem haud pervenerint, unde forsan optima nobis foret occasio, non levem demonstrandi veteris, cum hodierna rei nummuariae ratione similitudinem. Sed revertendam est ad qualitatem magis propriam illorum chirographorum, quam Justin. desiderat in futurum expressam et plenam (*ανεπονάστως*) h. e. certam promissamque sine omni reservatione. Quantam impenderit legislator

lator curam, ne effectu lex tractata destitueretur, sequentia docent, quibus non solum heredes illi, qui, reticendis obligationibus antecessorum suorum, legem violarent, sed etiam actores ipsi, mensarii scilicet, qui plus petendo, aliove modo iniuste fraudulententerque egerint, *in duplum*<sup>b)</sup> condemnantur. Totius dispositionis rigorem legislator Iust. haud parum eo adauxit, quod dolo ipsi, quem indicant verba: *sive rei veritatem occultaverint*, vel solam negligentiam in eruenda veritate a partibus litigantibus admisam, *sive illam cognoscere neglexerint*, in statuenda poena aduersus sanctionis violatores prorsus aequiparaverit. Secundo Ed. capite respondetur ad eas argentariorum preces, quibus petisse eos ab Imperatore videmus, ut probationibus suis conficiendis e confessionibus debitorum eorumque tabulis, vel suis propriis etiam ratiociniis, ita legis expressae auctoritate succurreret, ut plenam iis vindicaret fidem atque auctoritatem. Cum antea enim eiusmodi probationes satis idoneae haud aliter fieri potuissent, quam *publicorum instrumentorum* demum *collatione*, colligi potest, hanc rationem mensariis valde noxiā fuisse propterea, quia *ipsorum collegium multis, et praeципue nobilibus credere debebat, qui contractus suos publicari*<sup>c)</sup> aut *statum rerum suarum manifestum fieri*

*non*

*b)* Conferri omnino possunt de poena dupli Romanis usitata Commentatores ad leg. 48 et 58. D. de evict. Dupli autem stipulatio occurrit l. 4. 8. 2. D. de verb. oblig. Poenam dupli furibus, et quadruplici fornicatoribus scriptam com- memorat Caro in praef. de R. R. ubi

haec: »ita in legibus posuere, furem dupli condemnari, foeneratorem quadruplici.«

*c)* Adscripta sunt ab Edit. ex inferioribus huic verbo ad marginem illustrandi causa haec: plerunque honestiores viri, licet ipsi contrahant, servorum

*non sustinentes maluerint d) divites, quam obaerati aliis videri.* Constituit itaque Iustinianus, ut scriptae litterae ab iis, contra quos a mensariis ageretur, simul ac, probandi causa productae, non possint *iure iurando abregari* ab aduersa parte, haberentur pro autographis eorum, quorum nomina exhiberent atque continerent, ita quidem, ut exceptioni non numeratae pecuniae contra leg. 14. §. 3. cod. de non num. pec. locus haud concederetur. e) Iterum singularis quedam recessio a iure civili communi, quod sane admittit illam exceptionem, rei argentariae per quam sane favorabilis. Verba quae sequantur, ob cumulationem pronominum paulo obscurius translata, pro nexu Graeci textus ita recte intelligenda arbitrandum. Praeterea si accidat, ut argentarius, licet possit veritatem nominum *propriae*, scilicet respectu debitorum, *manus*, h. e. proprii chirographi, ex instrumento *publico* probare,

hoc

*vorum, quam sua nomina malunt instrum.* publ. inscribi. l. 5. 8. 4. *π. de auct. tut.* idioque recte constitutum, ut si scriptum sit, *servum fecisse stipulationem, ad-*versus *eam* scripturam testes non admittantur. l. pen. C. de contrah. stipul.

d) *Agylabius* legit pro voce: *malunter-*que, voluntque, adnotatis ad marg. expl. sui verbis: *lego: μὴ βασάνεος.* iam quamvis haec lectio non incongrue posset explicari, si modo nobiles avaros magis, quam superbos et ostentantes subsumamus, propterea tamen, quia iis, quae paulo ante ad verbum: *statum legimus, e diametro adversantur, et quoti-*

*dianae fere experientiae contraria sunt,* non aequa nobis placet.

e) Nov. CXXXVI. c. VI. hanc in rem haec verba habet. »Nam si id quoque tempus praeterire contigerit, (quousque neimpe valet exceptio non numeratae pecuniae,) neque iure iurando ipsos gravamus: id quod etiam in generalibus legibus descripsimus, quamquam ne hoc quidem ex usu erat: nam eum qui propria manu vel scripsit, vel tradidit rationes, quomodo iustum fuerit punire, ita dissolutum exitisse, ut quae data non essent, pro datis siceret?“

hoc tamen neglexerit; *adversarius vero ex alterius publici scripti comparatione scripturam illam ut falsam redarguere nequeat*, comparationi locus esse debet, inter scripta debitorum (haec enim dicuntur: *quae illorum manu de quibus agitur, conscripta esse certo constat*) aliunde petita, et ea, quae ab argentariis ad probandas suas actiones producta sunt. Ex qua quidem comparatione nisi apparuerit contrarium, lex nostra addicit illa scripta argentariis, dum; *firmaque sint, pergit, nec minorem, quam publica instrumenta, vim et auctoritatem habent, non ex firmitate et vigore qui illis insit, sed ex sola forma.*<sup>f)</sup> Neque etiam dubitari potest, quin ob tantum hunc scriptorum illorum valorem, pluribus locis Iur. Civilis v. c. I. 9. §. 2. π. de edendo, partes litigantes eorum fidei innisas esse legamus. In controversia enim inter debitorem atque creditorem de veritate debiti suborta, nisi res alio modo posset componi, partes sese conferre solebant ad codices argentiorum, indeque, tamquam absoluta probatione, petebant decisionem vere factae, vel non factae solutionis <sup>ε).</sup> Reliqua huius Cap. satis clara sunt,

<sup>f)</sup> De insigni hoc eiusmodi syngraphae valore egregie exposuit HUBERTUS in diss. alt. c. V. §. 2, ap. OELLA, in Thes. Vol. II. p. 99. sq. eumque tam Graci, quam Latini iuris esse, testimonio adductorum veterum recentiorumque scriptorum, nec non Edicti, nostror. intuitu, optimo iure contendit. Integrum III. Partem laud. diss. quae ipsa omnino spectat ad nostrum locum intelligendum, auctor dicavit tractando iuri singulari mensariorum. Conferri etiam potest PÜTTMANNUS in Progr. de scriptura mensae eiusque cum negotio mercatorio, quod scontro vulgo vocari, comparatione. Lips. 1796.

<sup>g)</sup> Alia huius rei ratio posita est in opera argentiorum a CAIO leg. 10. §. 1. π. de ed. *principaliter dicta, quam eos adhibere summa integritate praesumeatur*, vid. SALMASIUS de usuris, pl. II.

sunt, et ex Iure Civili intelligi possunt, sine uberiori illustratione. Ita autem Iustin. continuat sequente Cap. III. const. nostrae iura praecipua trapezitarum, ut iis largiatur simul facultatem valide agendi adversus omnes, qui ex quocunque capite, v. c. depositi, oppignorationis, aliove demortuis debitoribus obligati sint, quamvis horum cetero, quin dici nequeant heredes. Quod igitur ex Iur. Civ. placitis non licuit: ad explendam demortui cuiusdam obligationem convenire alios, quam heredem, relictum est hac in lege argentariis illis, dum satisfici iis legislator iubet a depositariis rerumque a demortuis argentariorum debitoribus oppignoratarum possessoribus. Iisdem adeo, viventibus adhuc debitoribus, licet ex simplici syngrapha, in qua ne verbum quidem de hypotheca, crediti intuitu constituta, inveniatur, nihilominus tamen *hypothecarias actiones* valide instituere permittit, quasi eae naturaliter h. e. ita, ut pro tacitis habeantur eiusmodi hypothecae, ut expressam, quae vulgo dicitur, mentionem non requirant, *argentariorum eorumque, qui cum ipsis contrahant, contractus comitentur.*<sup>h)</sup> Habant vero id etiam legislator pergit, ut tempore posterioribus creditoribus praferantur, quae verba nimis latam sane continent legis extensionem, nec addita ratione: non aequum esse, et ab aevi illius iustitia alienum, eos, qui bene de aliis merentur, rebus suis privari, qui vero debeant, superbire de alieno, quantum nobis quidem videtur, satis undique stabilendam. Nonne enim ita frequentissime accidere

<sup>h)</sup> Ad hos quoque iure summo illa contra eos, seu utrinque valere deberet, legis pars extensa est, cum alias, nem iniquitatis, adeoque iniustitiae notam pe si unice pro argentariis, nec etiam declinare a se nullo modo posset.

dere posset, ut alii antiquiores depositarii et hypothecarii aut etiam pignaretiti creditores, licet *suis* creditis plus profuerint debitoribus, quam factum sit argentariorum mutuis, tam en rebus suis iniustissime privarentur? ne aliarum omnium causarum ullam mentionem faciamus, ex quibus praerogativa temporis merito in iure savendum est. Quarum ratione hanc Ed. particulam vix pro adeo iniusta, habendam esse dubitaremus, ut eversio potius iuris dicatur, quam lex. Permissum quidem est legislatori pro legislatoria sua potestate huic illive in primis favere lege scribenda, at vero necesse est, ut hoc fiat absque aliorum laesione, neque ita, ut quod sane in casu proposito factum esse cernimus, tollendis omnium civium reliquorum iuri bus, erga singulos tantum liberalior sit, aut collatis in hos illorum quasi spoliis, illos exponat summo periculo bonorumque iacturae. Sed satis haec abundeque dicta erunt de hac legis imperatoriae κεφ. cum reliqua eius capita nos premant. Quartum quoque sanctionis nostrae derogat iuri antiquiori, quod circa ordinem excutiendi debitores obtinuerat, eademque additur ad finem huius Cap. causa derogationis, quae in superioribus conspicua erat; insignis nempe argentariorum favor, satis perspicue expressus verbis: *ideo quod illi non paucis quibuspiam, sed omnibus ferme, quae in universa republica sunt, contractibus ministerium praestent.* Ex antiquioribus autem legibus, quae huic dispositioni repugnant<sup>i)</sup> ab ipso legislatore

<sup>i)</sup> Omnia fere optime historiam de ordine excutiendi debitores, ex Iur. Civ. placitis petitio, exposuit Wolf. Ad. Lauterbachius in diss. de benef. excuss.

Tab. 1653. thes. 45. Conferri etiam potest Eberh. Chistph. Cazvus in diss. inscr. quæstiones quædam de beneficio ord. Tüb. 1770.

latore nominatur Nov. IV, cuius primo Cap. in universum iubetur: ut credidores primo convenient *principalem*, scil. debitorem, h. e. ut ordinem excutiendi debitores Iure Civ. stabilitum servent, seu , uti a nostra lege negative expressum est: *ne creditores adversus eos, qui aliquid a debitoribus emerint, prius iudicio agant, quam principales debitores percessionem bonorum non solvendo esse constet.* Inter reliquas vero Iur. Civ. leges de ordine excussionis praecipientes, in primis huc pertinent Auth. Cd. praesenti etc. de fideiussoribus, et l. pen. Cd. partibus etc. quas propterea potissimum hoc loco commemorandas esse arbitramur , quia speciatim exponunt de causis , in quibus beneficium ordinis non prodest<sup>k)</sup> h. e. vel si reus principalis manifesto solvendo non sit , vel si huic beneficio sit renunciatum. Verbis: *per cessionem bonorum* (*της ἐκστάσεως*) intelligenda est quaevis omnino causa, ex qua credidores cognoverint satisficeri sibi non posse a debitoribus suis principalibus, quo referri etiam possunt praefracta v. c. solutionis, vel ipsius adeo debiti, denegatio, domicilii ignorantia , omnesque omnino reliqui modi, quibus coguntur credidores, ut regrediantur ad debitores in subsidium sibi simul obligatos. Porro cum alias *evictio* proprie pertineat ad doctrinam de emtione venditione , argentarii toto hoc loco comparantur venditoribus nominum ero-

D 2

gan-

<sup>k)</sup> De aliis eius generis accuratissime fere exposuit BERLICHUS P. II. Conol. 24. qui in interpretanda hac materia ita assiduus fuit, ut numerum illorum casuum nonagesimum quartum expleverit. Conferri quoque de ordine excussionis ad h. l. potest Jo. Balth. WERNHAR de benef. ord. seu excuss. possess. extraneo adversus creditorem si ex generali, f. exspeciali hypotheca agat, contra spuriam Nov. CXII. C. I. interpretat, competente, Vit. 1725.

gandorum, seu commodatorum, quibus tamen nec consuetudo, neque in conficiendis contractibus celeritas permittat securitatem mutuorum suorum, debitoribus datorum, subscriptione fideiussorum adipsi, ita quidem, ut evictio, sublata quasi metaphora, nil aliud significet, quam futuram forte mutui dati denegationem vel solutionis detractionem; licet ceteroquin vox evictionis, quod colligi iterum posse videtur ex eius scriptura, commentatoribus potius, quam Iustiniano deberi, censendum sit. Confirmatur praeterea ipsa legis huius dispositio Nov. CXXXVI. c. I. quo iussum erat: ut creditori liceret, tam principalem debitorem, quam mandatorem aut fideiussorem, et constitutae pecuniae reum conveniendi, non exspectato constitutionis, h. e. ordinis, gradu. Quae deinde sequuntur verba: statuimus, ut et ipsi, et qui cum ipsis contrahunt, quod paulo ante siebat iure optimo, iniustiae nimirum taxare Iustinianum, hic nobis propterea interdicunt, quia privilegium Edicto, in quo versamur, concessum, verbis illis ad eos quoque extenditur, qui cum foeneratoribus contraxerunt, h. e. valere etiam contra argentarios debet. Pandem ipsam ob causam bene etiam sese habent verba paulo inferiora, quibus Imperatorem idoneam causam legis, utut exstat, in eo statuisse cernimus, ut nempe in communem beneficentiam se extendant ea, quae corpori argenteriorum hac lege largita sint. Decimam partem (*δεκατημονίας*) quae occurrit sequenti quinto Cap. in notis editionum nonnullarum iam ante nos non male interpretati sunt Editores, paulo plus quam alias, copiosi ad hanc vocem, per verba: „solvebant scilicet dictam partem, qui caluminose agebant,“ seu, uti in nostra Constitutio-

ne

ne dicuntur, qui dicam aliquibus impingeant<sup>o</sup>). Ad-di potest ex antiquitatibus agendarum causarum Roma-nis, quod hac decima totius petiti parte caveri reo ab actore solebat initio litis<sup>m</sup>), ita quidem, ut reis ad ex-i-gendam hanc cautionem adversus actores, qui causa cae-ciderint neque ante item motam iamiam caverint, com-petierit actio in factum. Quae, scil. de calumniatoribus ex stipulatu vel quasi, dabatur ei, cui damnum calum-nia illatum erat, non et heredibus eius<sup>n</sup>), adversus eos, qui calumniose item iis moverant. Iam, quamquam nummularii fideiussorum datio huius cautionis intuitu remissa sit ab Imp. ita, ut sufficiat ipsorum *hac de re factum promissum*<sup>o</sup>), quippe ob praesumtam eorum fidem, laudanda tamen est addita iussio: *illud manifestum sit, quod si legi succubuerint, h. e. si causa ceciderint, nihil illis proderit, fideiussorem non dedisse, etc.* Iniquissi-mus

<sup>l)</sup> Reliqua in Notis v. c. ed. maj. LEUWEN ad h. locum addita haec sunt: §. 1. versic. haec autem iust. de poena temere litigantium: eaque fuit ex stipulatu actio. Nam initio liis cavebat ac-tor ni viceset, reo decimam praestitum iri, et erat reppromissio, non satisfactio, ut ex C. Hermogeniano tit. de calumniator. constat. Eam actionem decimariam, non utendo amissam, restituimus eo addito, ut decimae cautio satisfactionem habeat N.

CXXII. c. 2. qua lege hic eximit argenta-tios, quibus agentibus rei reppromissione circa satisfactiōem contenti esse debent.

<sup>m)</sup> Secundum Nov. CXII de liugio-sis et de decima parte litis ab actore

cautelae loco praestanda; de qua, mis-sa ad Theodotum Oientalium prae-f. præt. supra commemorata, optime me-ritus est RITTERHUSIUS, P. III. c. 2. n. 34. sicuti etm. P. IX, c. II.

<sup>n)</sup> Secundum §. 1. Inst. de perp. et temp. actt. Exceptionem statuit litis cum defuncto iam facta contestatio, sec. L. un. C. ex del. defuncti in quantum heredes conven. et I. 4. II. de calum-niat.

<sup>o)</sup> HURERTUS in diss. laud. II. c. 2. §. 5. expressam huius privilegii men-tionem facit, simulque leci nostri memor fuit, vid. OGMIK in Thes. Vol. II. T. 1. p. 128.

mus enim fuisse legislator, si prorsus liberasset argenterios a calumniae poena, factumque eo forte esset, ut, fide eorum nimis tentata, fraudem in iis excitasset. Haec minime erat Iustiniani intentio, immo potius mens eius, dum scriberet hanc legis propositae partem, in eo tantum posita erat, ut argenterios, qui debita sua actionibus persequi coacti essent, *fideiussorum dationem ad decimam partem* (minus enim recte verba Graeca: ἐν τῷ δεκάτῳ τριημισθαί translata sunt verbis: *in deci mā par te;*) explicato hucusque *speciali Ed. privilegio condonaret atque remitteret*; quibus duobus verbis posterioribus aptius sane, sensuique accommodatus concinnatum totius V. Cap. argumentum repetitur. Ab his tandem ad novam totius constitutionis occasionem sequenti Cap. transitur, quod concernit, uti Icti loquuntur, forum competens argenteriorum, actorum aequae ac reorum. Promti quidem atque parati hanc quoque legis partem aggredimur, maximopere tamen veremur, ne forsitan nimis ab ovo, quod dicitur, incepisse lectoribus videamur. Agedum, cum vix ita fiat repetita vice! Res communes Ius Civile pluribus ll. v. c. §. 1. Inst. l. 2. §. 1. π. de rer. divis. eas esse ait, quae, quoad proprietatem nullius, quoad usum omnium hominum sunt, et tamquam legalis, bene sese habet haec definitio. Aliud divisionis rerum in communes et non communes fundamentum exinde petere, atque statuere, quod hominibus omnibus vel adeo necessariae sint, ut, saltem commode, vivere sine iis nullo modo possint, — vel non, — nobis neque competit, neque satis est audaciae. At, sumto semel illo respectu, non possemus a nobis impetrare, quo minus contenderemus, pecuniam primo loco referri debere ad res communes.

nes. Sed satis trita haec sunt omnino, ut potius nostrum sit demonstrare, quid ea hoc loco sibi velint. Statim videbimus. Quodsi enim aliter sese haberent, quae hucusque diximus, mendacium pro veritate dixisset Iustinianus, dum causam, cur *supplices* (*r̄es iuxtas*, he. actores, qua voce licet liberius, tamen aptius redditum esset v. Graecum) *ad diversa tribunalia protrahantur*, in eo positam asseruerit, quod eorum, qui cum argentariis contrahant, *in infinitus numerus sit*. Sed verissima erat haec legislatoris ratio, hodieque adhuc esset, ob pecuniae necessitatem. Omnis quoque rei argentariae cum veteris, tum etiam recentioris ratio, praeter ipsius rei naturam, abunde docet, argentarios negotia habuisse, hodieque habere cum remotissimis adeo imperii incolis. Cum eorum autem esset, omnibus rogantibus mutua suppeditare, hand aliter fieri poterat, nisi ut improbi ingratique, uti lex nostra loquitur, inter eos interdum quoque fuerint, quorum improbitas tanto periculosior nummulariis erat, quo difficultius ob domicilii remotionem atque diversitatem forte erat, eos convenire. Neque enim dubitari potest, pro nexus totius orationis, quin sub *diversis tribunalibus* recte intelligantur diversi illi iudices competentes, coram quibus actiones ab argentariis institui debuissent adversus improbos debitores. De *priore* circa argentarios lege Iustin. cuius providentiam hoc quoque Capite *imitari* se velle legislator dicit, supra iam dictum est, *iudicium vero specialium*, qui simul commemorantur hoc loco, singularis uberiorque adhuc mentio est facienda. Iam quamquam de nominibus peculiaribus illorum iudicium, si omnino quaedam fuerint, pauca tantum ab antiquioribus scriptoribus nobis tradita sunt; tamen haec materia propterea im-

*De iudicibus diversis* *ad iudicium specialium*

primis uberiore disquisitione dignissima videtur, quia nostra quoque aetate similem consuetudinem deprehendimus, dum nimirum respicimus ad iudicia illa, quae in omnibus fere urbis celebrioribus veniunt sub nomine iudiciorum mercatoriorum. <sup>p)</sup> Haud parum haec consuetudo, primo saltem intuitu, redolere videtur mores Romanorum tunc temporis, ex h. l. satis perspicuos; neque forte multo plus deest, quin summo iure eandem rationem statuamus de origine nostrorum iudiciorum mercatoriorum, quae illorum iudicium specialium fuit, h. e. primum, peregrinitatem mercantium, facultatemque eos statim in loco contractus conveniendi, deinde vero in universum, favorem commercii. Ipsos praefectos urbi, saltem Romanos et postea Constantinopolitanos, horum iudicium munere, adeoque potestate inquirendi in argenteriorum negotia atque lites, functos esse colligi potest ex l. I. §. 9. <sup>77.</sup> de off. praef. urb. nec non confirmatur hac nostra constitutione, qua *Petro tanquam scararum largitionum comiti et patricio<sup>7)</sup>* severissime com-

*missam*

<sup>p)</sup> Plura omnino hoc de re, sicuti etiam de necessitate primaque origine horum iudiciorum legi possunt ap. Benev. STRACHA de mercatorum iudicibus et consulibus. Tr. Tr. VI. Wolfg. Ad. LAUTERBACHUS de iure in curia mercatorum usitato, Tüb. 1655. Ioh. TOUREAU in Institut. iuris consularis s. jurisprudentiae mercator. Bourg. 1682. et Ioh. Heinr. GERMERUS in d. de iudicario mercatorum processu. Basil. 1697. De iis nationum mercantium iudicibus, qui recentiori quoque aetate consulum no-

mine veniunt, vid. Ioh. Hartm. MISLERI Ebauche d'un discours sur les consuls, Hamb. 1751. Caeterum de iis, quae omnino commode observanda sunt in instituendis iudicis mercatoris s. Halle delsgericht, legi nonnulla possunt ap. Paul. Jac. MARRERGUM in l. Neueröffnungs Handelsgericht; Hamb. 1709. 4. ei Lud. Car. VELLODTEUM in lib. Entwurf eines allgemeinen Handelsrechts Grif. am M. 1799.

<sup>7)</sup> Uberius de his titulis sopra iam dictum est §§. Spec. I. pl.

missam esse legimus curam decidendarum regendarumque  
argentariorum litium. <sup>7)</sup> Alius porro, iterumque dupli-  
cis improborum debitorum fraudis commissae adversus ar-  
gentarios rationem Imperator habuit *septimo* Edicti Cap.  
quo optime iterum consultum fuisse nummulariis, statim  
videbimus. Primum enim, hoc legis loco carpitur haud  
rarum illud hominum improborum commentum, quo ni-  
mirum argentarios ad mutua sibi danda callide commovere  
scriverint sub specie oppignorationis omnium suorum bo-  
norum. Et vero, re vera speciosam tantum nominum se-  
curitatem hoc modo pro vera creditoribus venditabant,  
atque propterea quidem, quia tum, si lis mota iis erat ex  
illa oprignoratione, probare haud dedignerentur, domi-  
nia bonorum illorum pro suis oppignoratorum, non sibi  
ipsis esse, sed uxoribus, aliisve tertiiis personis. Dum por-  
ro lex nostra hanc in rem dicit: *eos* (nimirum iupros debito-  
res, qui mutua ab argentariis acceperant,) *istius modi*  
*ratione inopiam praetendisse*, omnis horum verborum  
potestas haurienda est e verbis, quae paulo superius legun-  
tur. Verba enim, *quomodo quidam a dicti collegii ar-*  
*gentariis pecunias mutuati aut mutuantes, emerint aut*  
*emant possessiones immobiles suarum uxorum aliorum-*  
*ve quorumpiam familiarium nomine, quo videlicet ge-*  
*neralem illam acquisitorum asquirendorumque bono-*  
*rum*

7) Conferri ad hunc locum optime, quoque nonnulla huc pertinentia occur-  
quantum nos quidem scimus, potest runt apud *Sicontum* in antiquit, Iur.  
HUBERTUS D. II. laud. c. III. §. 4. ap. Civ. Rom.  
Oenbach, in Thes. p. 134. Sparsim

rum oppignorationem circumscribant, haec est vis. Accidit etiam, ut improbi illi debitores dolo malo alienis noninibus acquirerent possessiones immobiles, eo quidem consilio, ut, quamvis satis ipsi opulent sint, illa tamen ratione nihil habere in opibus viderentur, utque futurae solutionis spes omnis creditoribus eo praeriperetur, quod pauperes esse, nihilque prorsus habere in bonis censerentur. Quod similis, inter mercatores in primis, nostra quoque aetate saepius occurrat ratio, quam tamen inevitabili quodam legum abusu, iusti legitimique adeo speciem p[ro]ae se ferre scimus, vix opus est singulatim adnotare. Multum vero dolendum est, semperque erit, quod illo modo ii interdum, qui probitate sua atque indefessa assiduitate opes nonnullas sibi comparaverint, celerrime privari iis omnibus possent ab eiusmodi hominibus, qui nequitia sua atque luxuria eo processerint, ut suas aequa ac alienas opes nefarie dilapidaverint. Omnis igitur mutuorum securitas, qua frui debnissent argentarii ob oppignorationem bonorum, quae dolose facta iis erat a debitoribus, nil iis omnino proderat ob iniuriam falsissimamque debitorum oppositionem, quod bona illa non sua propria essent, sed aliorum vel cognatorum, vel etiam familiarium tantum. At vero, cur plura de hoc improbabilitatis malorum debitorum contra mensarios genere? dum restet nobis alter nequitiae modus, cui obicem placito nostro obici deprehendimus. Nonnulli etiam, lex pergit, quae sibi debentur, a debitoribus aut in pecuniis, aut omnino in immobilibus rebus recepturi, h. e. quibus alii debent, seu, qui aliorum sunt creditores hypothecarii, non in suam personam, sed, (quemadmodum dictum est) aut uxorum, aut cognatorum

*rum istiusmodi solutionem, cessionem aut venditionem faciendam current, quo per istiusmodi rationem in opiam praetendere possint.* Notantur his edicti verbis ii, qui, quamvis ob divitias omnibus satis notas illo fraudis, quod statim tetigimus, genere, uti haud commode potuissent, nihilominus tamen solvere foeneratoribus debita sua noluerint. Quae loci totius interpretatio, licet optime quidem probetur verbis paulo inferius obviis: *si debitorum quempiam dolo fecisse — demonstretur; quo tamen prorsus quasi exahriamus eius sensum, pauca hic addenda sunt e doctrina Iur. Civ. de iuribus maritorum in bona uxorum suorum immobilia.* Eatenus autem locus noster in primis spectat ad illa placita Iur. Civ. quatenus ea haud nimis adeo favere maritis demonstrandum erit. Et vero secundum ius Civile, quod recentioribus hanc in rem iuribus, non vere dissimilibus, occasionem dedit, bona uxorum a maritis ita tantum possidentur, ut, praeter fructus, simul cum uxori, bus inde percipiendos, nihil dominii in iis habeant, omninoque ea sine consensu uxorum neque alienare, neque servitute, oppignoratione, aliove quovis modo onerare possint<sup>5).</sup> Quodsi igitur debitores illi argentariis mutuorum ab iis recipiendorum causa vel generalem bonorum oppignorationem stipulati fuerant, satis tamen patet, foeneratores nullam

E 2 inde

<sup>3)</sup> Secundum legg. quidem, ut nonnullas tantum pro pluribus addamus, 3. §. I. et 13. II. de fundo dot. leg. un. C. de rei uxori. act. Ex antiquioribus omnium heretice überminus doctrinam de fundo dotali tractarunt CAESAR OTTINELIUS et PANDULPHUS PRATEIUS; de recentioribus vero nominandi sunt: SAM. STRACK de iure uxoris in bona mariti, Erf. 1686, itemque de iure mariti in bon. uxor, Jen. 1760, et CHR. FR. GE. MEISTERUS (239. Ott. FR. KRAUT), d. de bonis uxoris ex Iur. Rom. praesum, non paraphernalibus, sed dotalibus, Goett. 1760.

inde securitatem nominum suorum esse nactos. Caeterum cur toto hoc loco, ubi sermo legi nostrae est de dicta improborum debitorum nequitia, primam semper mulieres nominatae sint, nemini mirum videbitur, qui noscit omnes illas iuris praerogativas mulieribus intuitu bonorum suorum, in primisque immobilium, in universum competentes. Maximopere autem lusit. hoc loco, quo simul Cap. III. Nov. CXXXVI. alias iam laudatae initium confirmat, malitiam atque improbitatem pessimorum illorum debitorum, qui dolosissime aera aliena a nummulariis contraxerant, refrenare studuit atque cohibere. Iubet enim, *ut si debitorum quempiam dolo fecisse quo minus res suas possideat, aut ius suum clam in alium transstulisse demonstretur, liceat actoribus in rem, aliave legitima actione id factum esse ostendere, adversusque dictas res — consulere.* Largitur igitur his verbis legislator argentariis probationem doli eiusmodi, a debitoribus suis commissi, utilissimamque iis concedit actionem. Sub dicta nimirum actione *in rem* (quae verba posteriora iterum Graecas textus retinuit, intelligendum esse arbitramur ipsum adeo reivindicacionis remedium, <sup>4)</sup> quod obtinere debeat in easa proposito circa possessiones immobiles alieno nomine a debitoribus trapezitarum dolose emtas. Multum sane quidem inest huic Imperat. largitioni, dum respiciimus ad insignem illam

in

<sup>4)</sup> Universa saltem notio actionum, quae in rem, seu vindicatione a iis dicuntur, nullo modo adversari hinc nostra sententiae, quam potius adiuicare eam videtur, cum satis constet v. c. ex leg. 27. §. 3. II. de rei vind. actiones ilicas dari contra quemcunque possessorem eumve, qui *dolo possidere* dederit,

in iure reividicationis efficaciam. Neque tamen nimis forte; dummodo nobis suspicari liceat, quod pro nexu totius loci non omni saltem temere fieret, debitores illos interdum emisse immobiles suas posessiones pro ipsis mutuis, quae dolose antea ab argentariis erogaverant. Ita quidem optime sese habet Iustiniani propositum, ut nempe argentiariis vel ius quoddam in illas debitorum dolosorum possesiones e creditis suis constitueretur, vel ipsa haec mutua una cum litis expensis restituerentur iisdem ex venditis possessionibus. Hanc enim, censendum est, vim esse verborum: *quasi debitoris sint, sicuti etiam technae pulsae* ( $\mu\alpha\chi\alpha\tau\alpha\ \alpha\nu\delta\alpha\nu\nu\omega\nu\eta\epsilon\alpha\tau\alpha$ ), accipi debent de neglectu cuiuslibet in legisbus definitae solennitatis, formae atque substitutatis, a quibus decepti argentarii in praedictis casibus liberati sunt, dum legislator ex allatis hucusque causis haud incommodo simul expensarum litis singularem facit mentionem, statuitque de his idem, quod valeat de omni actionis causa. *Quic-  
ta*, namque lex pergit, *vita fruantur, ac neutiquam — et dispendii implicitentur*. Simili quoque modo Iustinianum sollicitum fuisse, de brevissima decisione causarum ab argentariis publicis motarum sed improbe atque intempestive ab adversariis eorum protractarum, sequentes legis exponendae partes luculenter docent. Petrum enim urbis praef. pro dilegentia sua, de qua sibi persuasum esse non sine laidis memoratu dicit, curare iubet, ut neque *suppli-  
ces*, quiae complectuntur cum in universum preces quales-  
cunque ad. Imp. directas, tum quodlibet etiam iuvandae  
litis gratia interpositum remedium, *e debitorum improbi-  
tate aut fallacia sibi oblatae, iniustum dispendium* ( $\delta\delta\mu\nu\beta\alpha\beta\gamma\eta$ , h. e. quodvis damnum quamlibet protractio-  
nem,

nem,) subeant, neque innoxii, ex iniquis obliquisque commentis, quorum varia exempla exposita vidimus, improbas eversiones (ἀκαίρες διατρέψας) h. e. debitorum suorum nominumque improbis illis erogatorum lapsum, sustineant. Ultimo tandem Cap. quod Iust. recte appellat orationis, seu legis, obsignationem et finem, (synonimicas has voces Graecus textus indicat sola vocola ἐπισφράγισμα) breviter ea repetuntur, quae in reliqua pragmatica forma uberioris exposita sunt. Hoc autem ius in singulis illis casibus competere mensariis, et adversus eos, et utrinque heredibus, legislator pronunciat, addita in super generali illa aequitatis regula: *ut utraque pars eam simplicitatem integratamque in contractibus ac negotiis suis servet, quam sibi ab altera servari velit.* Iam cum Editoribus hic locus dignus visus sit, cui quaedam in nobis adspicerent, <sup>1)</sup> vix quidem audemus dijudicare, num revera Iustin, dum illa scriberet, in mente habuerit iuris Civil. locos, de eo, quod quis iuris in alium statuerit; — hoc tamen nobis quoque exinde satis elucere yidetur, quod tota lege legislator ex utraque quidem parte, tam debitorum, quam creditorum, ad aequitatem in primis respici, omnique rei argentarioe nova lege bene consuli voluerit. Universam porro dispositionem origetenus missam esse ad Petrum prov. praef. ex eius epilogo cognoscimus, ideoque haec constitutio vix dici posset generalis, nisi aliter iudicare nobis suadeant ea, quae singulatim hac de re leguntur ad finem Cap. ult. *ut prudentia tua, omnesque magni magistratus eos, qui in praedicto collegio re-*

*cen-*  
1) Verba Editr. Not. 10. et 11. allh. mandaui, l. 7. De de rescindenda venditione.  
I. haec leguntur. l. 3. §. 5. II. quod quisque iuris, l. I. II. ibid. l. 3. in fin. II.

censentur, iuuent etc. pauloque post in epilogo: prudenter tua et quicunque alius reipublicae nostrae iudex firma servato. Praeterea et in posterum cura iudicium magistratumque mutari atque emendari vult omnia iuris statuta, quae detimento argentariis esse possent. Quod restat, praeter usitatam anni dieique subscriptionem epilogus simul statuit de facultate: *supplicibus hanc sacram pragmaticam formam in quocunque iudicio, et maiori et minori producendi, illamque recipiendi acinde subsidium consequendi*, h. e. declarat, actores in litibus motis valide inniti posse auctoritati huius placiti, et quidem ita, ut liceat iis, si forsan probandi causa opus sit, non solum ipsum eius exemplum argessere, eoque tamquam lge authentica uti, sed inde etiam iura sua eodem effectu, qui hucusque fuerit aliis legibus generalibus, demonstrare. *Iudicium vero matius atque minus, quod h. l. commemoratur, utrum dictum ita sit a Iustin. respectu causarum in eo tracrandarum, vel civilitum tantum, vel etiam criminalium; an potius intuitu iudicis qui praefuerit ei, profecto ambigendum esse videtur.* Certe nosmet ipsi, cum non levia utriusque sententiae argumenta ex ipsa lege nostra possint hauriri, quid statuendum sit pro veritate indubitate, diiudicare vix audemus. Sufficiant haec de VII. nostrarum sanctionum Iustinianearum, cuius absolutae illustrationi ut ultimam quasi lineam adscribamus, addimus lectiones Aggylaeanas <sup>x)</sup> in ipsius exemplo sparsim ad marginem

<sup>x)</sup> Praeter lectiones supra locis suis adnotatas, adscripta leguntur apud Agolaeum ad verba: *propria manu scripta*, hanc: lego *dixiγεφον*, aut po-

tuis *διέγεφον*; et paulo post ad vocem: *ipsis*, post *αὐτοῖς* addo: *περιστλατον*, quod *ταῦς* respondeat.

ginem adnotatas. Caeterum, in quibus IX. Edictum con-  
veniat cum hoc priori, utrumque vero cum Novellis hu-  
spectantibus, praeter ea, quae iam suis locis adnotavimus,  
optima persiciendi occasio erit in sequentibus, quae di-  
centur ad illam ipsam constitutionem. Recentius tandem  
esse Edictum usque huc tractatum antecedente, facile co-  
gnoscimus ex eius epilogo, qui simul *Basilii*, urbis tunc tem-  
poris Consulis, singularem facit mentionem. Sicuti vero  
omnino Iustin. edictales suas iussiones eiusmodi epilogis  
claudere solebat, ita nos quoque hanc qualemque de XIII.  
Iustin. tractationem alio voto dimittere non possumus, nisi  
hoc, ut rata sint Ben. Lectt. ea, quibus aptam legum, secun-  
do hoc specimine expositarum, commentationem fieri exi-  
stimavimus.

L e g a t u r .

- Pag. 4. lin. 18. pro: Aequalis. Aequale m.  
— 5. — 2. — Imp. C. P. Im., Iun. C. P. Imp.  
— 6. — 4. — sanctious, sanctionis.  
— 8. — 6. inf. pro: redemdam, redemtam.  
— 9. — 7. — — propositaque, proposita.  
— 5. — — aut hanc, ante hanc.  
— 4. pro: movere, moveri.  
— 10. — 2. — proterit, poterit.  
— 11. — 2. inf. pro: quorum, quarum.  
— 11. Not. k) lin. 5. pro: τρόματος, στόματος.  
ib. Not. m) lin. 2. pro: actum, nactum.  
— 12. lin. ult. pro: precedente, praecedente.  
— 15. — 4. — gravari; gravari.  
— 16. Not 5. lin. 1. pro: vox, vocis.  
— 20. lin. 3. inf. post verbum: neesse, adde: esse;  
— 26. — 2. pro: pignaretii, pignoratii.  
— 32. Not. p) ad fin. pro: Veillodteum, Veillodterum.  
— 36. lin. 15. pro: aut, aut.  
— 37. — 12. — ἀπελαυνομένη, ἀπελαυνομένη.



THIS IS A  
JOURNAL





**ULB Halle**

005 891 469

3







DE  
**XIII. IUSTINIANI EDICTIS**  
SPECIMEN SECUNDUM

S C R I P S I T

E T

ILLUSTRIS IURISCONSULTORUM ORDINIS  
A U C T O R I T A T E

P R O S U M M I S

I N U T R O Q U E I U R E H O N O R I B U S R I T E O B T I N E N D I S

A. D. XII M E N S. M A I I M D C C C C T

H. L. Q. C.

A D D I S P U T A N D U M P R O P O N I T

**HIERONYMUS THEOPHILUS  
KINDIUS**

A. L. M. I. V. B. A D V.

E T N O T. P U B L. I M M A T R.

*Continet Edicta V. VI. et VII.*

L I P S I A E

E X O F F I C I N A H I R S C H F E L D L A N A.